

die 18. Octobr. 1530.

Petrus Tomicius Episcopus Cracoviensis  
 Vice Cancellarius Bone S. Fortie  
 Reginae Polonica

34

Sacra Reginalis Maiestas et Domina, Domina Clementissima. Post humilem servitatis et orationum mearum commendationem. Cum huc venisset Secziguiński cubicularius Maiestatis Vestrae Serenissime, et literas mihi reddidit, Maiestatis Vestrae, et de optima illius valetudine me fecit certiores, quae utraque re nihil gratius iucundiusque mihi contingere potuit. et literas enim Maiestatis Vestrae, praesertim quae saluberrima docent praecpta, libenter lego, et istius modi, de bona Maiestatis Vestrae valetudine nunciis mirifice delector, pro qua assiduis Dominum Deum interpello precibus, ut non magis diuturnam, quam integram illi semper concedere dignetur. Maiestas Regia cum omnibus consiliariis suis hic congregatis, recte valet, nisi quod animo paulatim est molestus, ob tam inopinatam hostis Moldavi in dominia sua irruptionem, quam tamen molestiam cito verti gaudium ego confido, quando imprimis maiestas sua, deinde et reliqui illius consilarii atque terrarum nuntii ita in quaerendis rationibus sunt diligentes et studiosi, ut et suis promptum auxilium praestet, et hostibus de illata iniuria cum

gloria

gloria Maiestatis suae armis respondeatur. In quo quan-  
tum in me virium est, dabo pro parte & facultate mea  
operam, ne tam audax facinus hosti Maiestatis suae &  
totius Regni impune remaneat, consulamque et suade-  
bo vigilanter ut ad rei necessitatem facti quoque celeri-  
tas accedat. Quorum omnium consiliorum, qui erit pro-  
gressus Maiestati Vestrae tum declarare non negligam  
quando melius res in disquisitionem consultatorum intro-  
ducantur, hactenus cum primordia consuetas convectus  
aggrēdi non potuimus, propter externorum negotiorum  
impedimenta, adq; non parvum cumulum adiciit Illu-  
stris Dominus Albertus in Brugia dux, qui hodie  
huc est Nivricoriam ingressus. Commendo me rursus  
et devotum meam Maiestati Vestrae Serenissima  
quam cum Serenissimis Regibus, Coniuge et filio, atque  
omnibus aliis liberis sanam salvam, & incolumem  
esse vehementer desidero. Datum Petricoriae Die  
XVIII. Octobr. 1630.